



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

An guttæ in calice separatæ debeant abstergi ante consecrationem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

hanc totam materiam, & nullam aliam consecrare, & consequenter, nec guttas remotiores, circa extremum latum Calicis adherentes. Quamvis magis expediat prius guttas, quæ præsertim remotas, abstergere, & tunc similes omnem materiam consecrabilem quæ est in Calice consecrare. De guttis autem extremis Calicis adherentibus, nihil laborandum est, quia nemo nisi id expresse intendat, quod cum injuria Sacramenti fieret, censetur eas velle consecrare. Hæc Coninch.

24. Layman verò lib. 5. tract. 4. cap. 2. num. 15. cum de hoc te fecit, eadem excipit, sic addit. Quod porro Coninch. ait, eas quoque vini guttas consecrari, quæ intra Calicem reliquo liquori proximè adherent, ut levi Calicis commotione admisceantur, difficultatem habere videtur: quandoquidem determinari non potest, quanta omnino esse debeant talium guttarum propinquitas: facit enim ipsæ rationes non consecrari. Neque vero potest consecratio fieri neque alterius Sacramenti consecratio pendere à futura contingente, ut nimirum ea solum gutta consecrentur, quæ postea contingeret Calicis agitatione reliquo liquori commisceri. Hæc Layman.

25. Verum enim verò videtur me posse Agidij partes agere: & ut clarius procedat defensio, Inquiri, si contingat (ut sæpe, ne dicam semper, profecto contingit) ut immediate ante consecrationem commovere, seu ad latum si. Calicem: quo motu, totum vinum ad latum cuppæ adlabitur, deferens vino conspersum aliud latum; Inquiri, inquam, si proferas supra hujusmodi Calicem sic inclinatam consecrationis formam, illud vinum, quo latum conspersum est, consecratur, necne? Sane consecratur, quia continuum est cum reliquo: seu cuius reperto in suo recto situ Calice, aliquid non consecratum remaneret in Calice admixtum materię consecratæ, quod nemo admittet: quamvis enim id sit tam modicum, ut peccatum fuisset (cum non sit potabile, immo vix sit sensibile) illud separatim consecrare; tamen, quando est unitum, & continuum cum cætero, est apta materia consecrationis. Fac item aliquam guttam ita adherere interiori Calicis, ut tangat vinum, sed propter ejus exiguum pondus non misceatur tota cum vino, solumque remaneat unita vino: seu, quod frequentius accidere potest, fac usam similem guttam immediate ante consecrationem ex superiore parte Calicis cadere in vinum, & cum ipso commisceri, remanente, ut oportet, illa parte superficie Calicis, in qua erat gutta, & per quam transit, dum cecidit, remanente, inquam, reposita, seu intincta vino; inquiri, illa guttula veluti supernatans, ut ita dicam, & hæc partes mobilissimæ vini, quibus pars dictæ superficie Calicis dispersa remanet, consecrantur, dicta statim, antequam arescant, consecratione? Certè consecrantur in omnium sententia, quia jam sunt continua cum reliquo liquore.

26. Dico igitur Agidij de his guttulis loquutum fuisse, quæ adherent superficie interiori Calicis, & sunt aliquo tandem modo physice continuæ cum cætero vino, non verò de iis, quæ sunt separatæ (ut credidit Layman) licet quacunque ratione vino sint vicinissimæ.

Paret id ex ipsius Agidij verbis, & multo magis ex istis verbis, ut à Layman referuntur. Hæc sunt verba Agidij. Ut comprehendat guttas vini, quæ proximè continuo liquori Calicis intrinsecus adherent. Non dicit prope, sed proximè, quod non potest intelligi, nisi de gutta, quæ attingat vinum continuam, secus non esset proximè, quod est superlativum, id est, ita, ut magis prope esse non possit. Adde quod ipse sic paulo ante dicit: Non legitimam intentionem consecrandi ferri solum circa omnem hominem consecrabilem, qui in Calice per modum continui, aut quasi continui continetur, ut comprehendat etiam aquam vino permixtam, & guttas vini quæ proximè continuo liquori Calicis intrinsecus adherent, &c. Jam, gutta separatæ, licet vicina vino, nec est continua, nec quasi continua vino. Ergo illam excludit, non includit Coninch à materia consecrabili. Includit verò

Part. II.

guttas aquæ immixtas vino, quia licet contiguae sint istigore philosophico, vino dicuntur tamen propter illam admisionem, non immerito, quasi continuæ: includit pariter guttas illas à nobis dictas num. 25. quæ non sunt quasi, sed verè continuæ cum reliquo liquore, ut ibidem explicuimus. Quod autem addit Coninch, ita ut levi commotione admisceantur, ideo addit, quia guttæ ejusmodi, de quibus nos sermonem esse contendimus, facillimè per dictam commotionem admisceantur cetera reliquo vino.

27. Sed videamus quomodo referat Layman Agidij verba, sanè in hunc modum. Quod porro Coninch. addit, eas quoque vini guttas consecrari, quæ intra Calicem reliquo liquori proximè adherent, ita ut levi Calicis commotione admisceantur, difficultatem habet &c. Profecto, si tales guttæ reliquo liquori proximè adherent, ergo cum illo continuantur, ergo si de his loquitur Coninch, (ipso favente Layman) de continuis loquitur, non de separatæ, quomodocunque vino vicinis. Prima consequentia, in qua est vis argumenti, est certa; quia non potest intelligi guttam liquoris adherere liquori ejusdem speciei, nisi cum illo, mediantibus particulis, quibus adheret continuetur.

28. Ex his ergo habemus, quod licet Bonatina de Euch. disp. 4. q. 2. p. 5. num. 7. immerito Agidij citans, sentiat guttas existentes intra calicem, quamvis à vino separatæ, consecrari, quia legitima Sacerdotis intentio fertur (inquit) in totam materiam existentem in Calice demonstrabilem per pronomen, hoc; probabilius tamen est cum Layman loco cit. Coninch. loc. cit. Reginald. tom. 2. lib. 29. cap. 2. n. 19. Suar. de Sac. disp. 43. sect. 6. non consecrari: cum intentio legitima Sacerdotis feratur quidem in materiam existentem in Calice demonstrabilem per illud pronomen, sed certè continuam, non separatam.

An gutta separatæ in Calice debeant abstergi ante consecrationem.

29. Peccatne Sacerdos si advertens ante consecrationem adesse guttulas separatæ intra Calicem, eas non abstergit, nec cum cætero vino, commotione Calicis admiscet?

Puto non peccaturum, habeat tamen animum consecrandi juxta intentionem Ecclesiæ. Ratio est, quia non obligamur, nisi humano modo, in his ministeriis nos gerere; non ergo ad cutandam metaphysicam liquoris continuationem, sed solum continentiam ejusdem in eodem vase, Deo cætera relinquentes.

Nam propterea Coninch. dixit expedite, Layman, optimè Sacerdotem facere, si abstergat. Immo addo, aliquando nec expedire, si enim advertas adesse ejusmodi separatæ guttas, quando, discooperto Calice, incipis, simili modo &c. (ut mihi non semel accidit) puto non esse tunc scrupulosè accipiendum purificatorium, & cum admiratione aliqua astantium, qui elevationem expectant abstergendum, vel commovendum Calicem. Habe ergo prædictam intentionem, & prosequere.

An gutta separatæ in Calice debeant abstergi post consecrationem.

30. Post consecrationem verò, nunquam abstergendæ sunt illæ guttæ, quæ forte adesse intra Calicem nunc advertuntur. Ratio est, quia cum non sit certum eas non esse consecratas, esset periculum abstergendi sanctissimum Sanguinem. Assumantur igitur admixtæ cum reliquo. Et quamvis nefas sit, materiam non consecratam consecratæ temperè admiscere; in hoc tamen casu, dubium, quod gutta illa sit consecrata, rationabilem reddit admisionem. Nec obstat periculum frangendi jejunium naturale, quod timeri posset, si prius degluteretur gutta illa fortè, non consecrata: non obstat, inquam, propterea, quæ docet in simili Delugo de Euch. disput. 15. sect. 4. num. 79. Adde quod reverentia,

L. 2. quæ